

iniquum est, bonum virum debilitari, aut configi, aut alligari; malos integris corporibus solutos ac delicatos incedere». Quid porro? non est iniquum, fortes viros arma sumere, et in castris pernoctare, et pro vallo obligatis stare vulneribus: interim in urbe securos esse percisos et professos impudicitiam? Quid porro? non est iniquum, nobilissimas virgines ad sacra facienda noctibus excitari, altissimo somno inquitinas frui? Labor optimos citat. Senatus per totum diem saepe consultitur; quum illo tempore vilissimus quisque, aut in campo otium suum oblectet, aut in popina lateat, aut tempus in aliquo circulo terat. Idem in hac magna republika fit. Boni viri laborant, impendunt, impenduntur, et volentes quidem: non trahuntur a fortuna, sequuntur illam, et aequant gradus; si scissent, antecessissent. Hanc quoque animosam Demetrii fortissimi viri vocem audisse me memini: «Hoc unum», inquit, «dii immortales, de vobis queri possum, quod non ante mihi voluntatem vestram notam fecistis. Prior enim ad ista venissem, ad quae nunc vocatus adsum. Vultis liberos sumere? Illos vobis sustuli. Vultis aliquam partem corporis? Sumite. Non magnam rem promitto; cito totum relinquam. Vultis spiritum? Quidni? Nullam moram faciam, quo minus recipiatis, quod dedistis. A volente feretis, quidquid petieritis. Quid ergo est? Maluissem offerre, quam tradere. Quid opus fuit auferre? Accipere potuistis. Sed ne nunc quidem auferetis: quia nihil eripitur, nisi retinenti. Nihil cogor, nihil patior invitus, nec servio Deo, sed assentio; eo quidem magis, quod scio omnia certa et in aeternum dicta lege decurrere». Fata nos ducunt, et quantum cuique restet, prima nascentium hora disposuit. Causa pendet ex causa, privata ac publica longus ordo rerum trahit. Ideo fortiter omne ferendum est: quia non, ut putamus, incident cuncta, sed veniunt. Olim constitutum est, quid gaudeas, quid fleas: et quamvis magna videatur varietate singulorum vita distingui, summa in unum venit. Accepimus peritura